

AB

92647



~~N. 21~~  
~~XXVIII. 9. a.~~

90 8r

Aufn  
A





V. L. C. 10.49

~~10.~~

15











Faint, mirrored text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some discernible words include "CONGREGATIO" and "LIBRARIUS".





Gratiâ Christi Adjuvante,  
MAGNIFICOQVE ICTORUM ORDINE  
CONSENTIENTE,

DISPUTATIONEM JURIDICAM  
De  
CONCURRENTIA  
JURISDICTIONIS,

SUB  
MODERAMINE  
VIRI

NOBILISSIMI ET CONSULTISSIMI  
DN. PAULI FRANCISCI ROMANI,  
D. & P. P. Fautoris sui colendi,  
IN ILLUSTRIPHILUREA

Publico Eruditorum examini  
submittit

AUTOR & RESPONDENS  
**Tobias Dieterich à Burckersrode.**  
Eqv. Misn.

Ad d. VII. April.  
A. O. R. M. DC. LXX.

---

LIPSIAE  
Literis JOHANNIS GEORGI.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a series of entries, though the specific words are not discernible.





REVERENDISSIMO, SERENISSIMO,  
ET CELSISSIMO PRINCIPI AC  
DOMINO,

DN. CHRISTIANO,

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MON-  
TIUM, EPISCOPATUS MARTISBURGENSIS PO-  
STULATO ADMINISTRATORI, LANDGRAVIO  
THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, ET UTRI-  
USQUE LUSATIÆ, COMITI DE MARCA ET RA-  
VENSBURG, DYNASTÆ IN RAVEN-  
STEIN, &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

Felicitatem à Deo Perennem!

SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME,

**L**ibo in præsens, pietatis ac observantiæ amore cum-  
primis ductus, Tuæ CELSITUDINI, non quidem  
pretiosa turis grana, nec Arabicæ arboris lacrymas,  
neq; trecentos boves; sed *molam salsam*, hoc est, ex agro ste-  
rili primitias fructuum ingenii mei. Longè sublimiora  
quidem debebantur Nominis Tui splendori illustrissimo;  
verùm cum optimè scias, partim à me majora proficisci nec  
posse, nec etiam exigis, partim *animum*, teste *seneca*, *formam*  
*daro rebus, parva extollere, sordida illustrare*. Nimis quidem con-  
fidens & audax videbor, quòd tenuibus hisce chartis, quæ  
sepulturæ potius ac tenebris plus quàm Cimmeriis, quàm  
luci debentur, Nomen Tuum tam illustrissimum ac vene-  
rabile præscribere voluerim. Sed cum laudes propensis-  
simi Tui in literas & earum cultores animi hinc inde cele-  
brentur, de quibus & aliis, quas in præsens silentio, quò a-  
lias



lias Numina venerari malumus, involvo, nulla unquam  
ætas conticescet, facile impelli me passus fui, ut hoc Exer-  
citiu Academicu in Nomine Tuo apparere præsume-  
rem, quibus pietatis ac gratitudinis meæ ardorem testi-  
ficarer. Gratia siquidem in immensum excrefcit, quâ  
me & meos peculiariter beasti, & adhuc in singulos ferè  
dies beas; cum primis autem cum nos propter successio-  
nem unius & alterius feudi, quæ simultaneæ investituræ ac  
beneficio Tuo debemus, multis modis infestemur, nos  
semper apud Te Asylum invenimus longè optatissimu,  
quorum feudorum usumfructuum omnimodum ut Tua  
Clementia per possessionis concessionem in nos, qui humi-  
limè petimus, gratiosè transferat, est quod ego genibus  
procumbens iterum obnixè ac humilime rogem atque ob-  
secerer. Accipe igitur, ut soles, humaniter hoc debitæ de-  
votionis ac devotæ gratitudinis monumentum, & meis  
Musulis favere perge. Sed in hoc sincerissimò votò desi-  
nam, ut Deus Opt. Max. Te cum totâ illustrissimâ Domò  
quam diutissimè salvu servet atque incolumem, subquæ  
Omnipotentis dextrâ floreas aureumquæ vitæ filum ad  
grandævam canitiem ducas! Ex voto suscepto vovet

Dabam Lipsiæ d. 7. April.

Anno 1670.


T. SERENISSIM. CELSITUD.

Devotissimus

Fidelis

Tobias Dietericus à Burckersrode.





Principium, medium atqve finis sit Deus, Nov.  
109. Absqve eo enim nihil unqvàm com-  
modè geri potest, Nov. 6.  
& 164.

## PROOEMIUM.

**M**ateriam Jurisdictionis non minùs utilissimam quàm sub-  
tilissimam esse, haud injuria censuit *Matth. Steph. de Jurisd.*  
*l. 1. c. 1. n. 1. 2.* adeo, ut quidã existimarint, nullum in Jure tam  
salebrosum locum esse, quàm illum de Jurisdictione *Coras.*  
*l. 3. Miscell. c. 17. n. 1. Duar. c. 1. in pr. ad tit. ff. de Jurisd.* Idq; vel exinde  
patere potest, quod tam variæ atq; intricatæ opiniones de illa exi-  
stant, ut *Adam Kell.* scribere non sit veritus, in illis maxime neces-  
sariam esse certam quandam pragmaticam Sanctionem & consti-  
tutionem Imperii *l. 2. de Offic. Jurid. Polit. c. 12.* Et sanè non exiguam  
qvoq; difficultatem ei addunt tot Jurisdictionis species, quæ singulæ  
non sine summa difficultate distingvi explicarivè queunt; ita  
ut licet fortassis ridiculè, non tamen ineptè quidam protestando ex-  
clamarit: daß er seinen gnädigen Herren / alle Obrigkeit und Juris-  
diction auff und unter der Erden / auch so viel noch künfftig erdacht  
werden möchte / ich so alsdann / und dann als icht / per expressum vorbe-  
halten haben wolte. *Adam Kell. dict. c. 12.* Quare operæ pretium fore  
duxi, speciem existã materiã nobilissimam usq; hodierno fre-  
quentissimam, verum à *Dd.* hætenus levitèr explicatam, scilicet  
de **CONCURRENTE JURISDICTIONE**, non quidem pro ma-  
teriæ dignitate sed pro modulo ingenii, secundum Principia Juris  
Civilis & Publici proponere atqve eunucleari. Quod ut feliciter



eveniat, Divinum Numen ante omnia supplex veneror. Sequitur itaque

### THESIS I.

Omniem doctrinam à subjecti definitione inchoandam esse, rectè monet Plato. Ea enim materiæ tractandæ naturam & differentiam breviter exponit *Beck. in præm. Synops. Jur. Publ. §. 4.* Facturus itaque competens *Disp. hujus initium*, meritò majorum vestigiis insistens, Definitionem, quæ scalas ad scientiam parat, *Valentin. Arithma Velitat. Feud. Diss. 3. th. 2. lit. a.* & à *Scaligero subtilitatum Magistro Exercit. 301.* anchorarum omnium firmissima indigitatur, *Arithm. d. l. primum in medium adduco.*

### II.

Concurrentiam autem Jurisdictionis seu concurrentem Jurisdictionem sic definire placet: Quod sit publica cognoscendi de causis potestas, pluribus, & cuilibet in solidum ac ut singulis, competens.

### III.

Primum locum occupant in hac Definitione verba: publica cognoscendi potestas, quæ genus simul comprehendunt, & quorum quodlibet paululum erit explicandum. Dicitur autem potestas Publica à causa efficiente, quia ab Imperatore Jurisdictio in jus dicentes fluit & refluit; sicut ex Oceano flumina, *l. unic. ff. ad L. Jul. de ambit. l. 1. §. 4. de Offic. Præf. Urb. l. 57. in fin. de re jud. Matth. Steph. de Jurisd. l. 1. c. 1. n. 82. seq.* Deinde succedit verbum cognoscendi, quò idè usi sumus, quia jus dicitur, aut tantùm cognoscendo, uti in iudicibus pedaneis contingebat, qui officium suum solo causæ Examine, & censura expediebant, *l. 99. de verb. sign.* aut simul imperando, quando jus dicens officium suum expedit non solo causæ examine sed simul imperando, jubendo, vetandoq; *l. 1. l. 2. l. 3. l. 4. ff. de Jurisd.* Unde Jurisdictio dispescitur in Jurisdictionem in specie sic dictam & imperium, per *l. 3. de Jurisd. Matth. Steph. de Jurisd. l. 1. c. 3. n. 2. seqq.* Tandem verbum potestas appositum est, quæ à *Treatl. Diss. 3. th. 2.* dispescitur in nudam, quæ est notio iudicum pedaneorum, seu cognitio sine jurisdictione *l. ult. C. ubi & ap. quem cogn. &c.* & non nudam seu legitimam, quæ à lege datur, vel jure magistratûs competit, quæ acceptio est hujus loci. Diximus porrò debe-



debere competere jurisdictionem concurrentem pluribus & cui-  
libet quidem in solidum; hoc est, ut tractatio causæ ad singulos  
plenè pertineat, & quilibet altero etiam non requisito ejusdem exa-  
men possit suscipere. Hanc ipsam enim veram demum concur-  
rentiam Jurisdictionis arbitramur, nec aliam in proposita defini-  
tione intelligimus. Porrò sequuntur verba *ut singulis*, quibus de-  
notatur, quod hinc arcendi sint illi omnes, quibus conjunctim, ut  
aliquando accidit, committitur jurisdictio. Hi quippe cum singulis  
reliquis se. non accersitis, in nullâ causâ procedere possint, neque  
præoccupare, quâ tales, judicium poterunt; *fac. tx. in c. prudentiam-*  
*21. X. de Offic. R. potest. jud. de leg. modo non adnexa sit in commis-*  
*sione clausula: quod si omnes non poteritis; &c. tunc enim mitius*  
*fortasse sentiendum, propt. eund. & gl. in c. quoniam Abbas. 14. & eod.*

#### IV.

CAUSA EFFICIENS Jurisdictionis concurrentis est pars  
ista, quæ Reip. principatum seu τὸ κῆρυξ tenet, sive sit populus, sive  
Optimates, sive Princeps, qui Magistratum creandi soli habent  
potestatem, *Bachov. in Wesemb. tit. de Jurisd. ad n. 9. Dn. Joh. Strauch.*  
*Disp. 10. de Jurisd. th. 10.* Quæ potestas Jurisdictionem tribuendi  
seu Magistratus constituendi initio Reip. Romanæ fuit penes Re-  
ges l. 2. §. 14. de O. I. *Dyonys. Halycarn. l. 3. c. 15.* post exactos Reges  
primùm penes consules, mox verò penes populum *d. l. 2. §. 16. & §.*  
*23. Halycarn. l. 10. c. 1.* & deniq; penes Augustum *d. l. 2. §. 11.* Con-  
stat n. Augustum Cæs. L. Regiâ imperium privativè non obtinuisse  
quoad populum & senatum, sed hunc vice populi cum Augusto diu  
in magistratibus constituendis muneribusq; publicis obeundis, con-  
currisse, ac Remp. communicatis consiliis ac viribus admini-  
strasse. Quid? quod proconsul cum omnibus ordinariis atq; ex-  
traordinariis magistratibus in provincia sibi assignatâ dicatur con-  
currere in l. 7. §. fin. de Offic. Procons. & l. 9. pr. eod. & Præfectus Urbi  
cum Præfecto annonæ l. 1. C. de Offic. Præf. Urb. Ordinarius cum Re-  
ctore collegiorum & militiæ, in causâ negotiationis & Professio-  
nis l. fin. C. de Jurisd. Paulatim verò sub Imp. subsequentibus, ma-  
ximè sub Tiberio & Nerone, potestas senatus ac populi plurimum  
attenuari ac summa Imperii ab Imp. unicè vindicari cepit *arg. l. u-*  
*nic. pr. ff. ad L. Jul. de amb. Nov. 105. in fin. ut soli eum omnibus uni-*



verſi Imperii Romani à ſe ſolùm conſtitutis magiſtratibus cõcurrere  
cõperint, ſive à ſe mediatè, ſive immediatè Jurisdictionẽ tenerent.

V.

Omnes enim ac Univerſi ad aulam & Conſiſtorium Principis  
ſupremum, maximè à perſonis miſerabilibus, ſtatim in primã in-  
ſtantiã, trahi poterant. Romæ ſiquidem & in aula Impp. commu-  
neforum erat, ibique quilibet, exceptis perſonis miſerabilibus, in  
quibus id ſpeciale erat, ut extra locum domicilii evocari non poſ-  
ſent, *l. unic. C. quãd. Imp. inter Pupill. &c.* conveniri, eoqve evo-  
cari poterat, etiamſi neq; inibi deliquiſſet, neq; contraxiſſet, neq; ſo-  
lutionem illuc deſtinaiſſet, *l. 28. §. 4. l. 26. §. ſin. ff. ex quib. cauſ. maj.*  
Planè ipſi quoq; legati huc trahebantur, licet deinde jus revocandi  
domum haberent *l. 2. l. 3. ff. de judic.* ibiq; comparere tenerentur  
*l. 26. §. 1. eod.* Eſt vero facies præſentis Imperii planè immutata  
longeq; aliena ab illa ſit, quæ Auguſti, Tiberii, ac cæterorum Impp.  
Rom. ætate floruit, maximè quia Jurisdictione non amplius nomine  
adminiſtratorio, ſed per inveſtituras ſub illuſtrium dignitatum ti-  
tulis atq; nominibus & quaſi Jure hæreditario, Viris ſtrenuis ac  
generoſis ſub cautione fidelitatis perpetuæ confertur, inde tamen  
non ſtatim fuit, Principem omnem Jurisdictionem à ſe abdicaiſſe,  
unde & illa inter Dd. oritur quæſtio: An Jurisdictione alicui conceſſa  
cumulative, vel privative tributa intelligi debeat?

VI.

Quid verò in tanta Dd. circa eam diverſitate ſit ſtatuendum,  
multum negotii facit, cum tam pro cumulative quàm etiam  
pro privative conceſſa afferantur argumẽta non ſpernenda, quæ hic  
brevitatis ſtudio adducere intermitto. Indubii juris eſt, quod re-  
gulariter de jure communi Princeps in dubio Jurisdictionem non  
privative, ſed cumulative conceſſiſſe intelligatur, prout notat Pa-  
norm. in c. *Pæſtoralis. n. 6. Arnif. de jur. Maj. l. 2. c. 2. n. 7. Roſenth. de Feud.*  
*Concl. 13. n. 1. Regn. Sixt. de Regal. l. 1. c. 5. n. 55. Zang. de Except. P. 2. c. 1.*  
*n. 360. ſeqq. Matt. Steph. l. 1. c. 38. n. 22. & l. 2. P. 2. c. 2. n. 54. qu. ſeqq. Ber-*  
*lich. P. 1. Concl. 2. n. 1. Carp. l. 2. t. 2. Reſp. 11. n. 9. & in Tr. Crim. P. 1. qu. 109.*  
*n. 95.* Adeò, ut eadem poteſtas & Jurisdictione ſuperiori adverſus ho-  
mines inferioris Judicis deinceps competat, & ſic cumulative con-  
currat ſuperior cum inferiore circa Jurisdictionem; niſi videlicet  
illa



illa præventa fuerit per inferiorem, prout statuunt & concludunt *Anton de Putr. in d. c. Pastoralis. n. 14. Matth. Coler. de Procef. execut. P. 2. c. 1. n. 142. seq. Tob. Paurmeist. de Jurisd. Imper. Rom. l. 1. c. 31. n. 9.* AC in concessione jurisdictionis semper præsumi concessionem factam quoad Principem cumulativè, non etiam privativè, in terminis decidunt *Petr. Heig. P. 1. qv. 9. n. 20. Menoch. de Præsump. l. 2. præf. 18. n. 1. seq. Coler. l. 2. c. 1. n. 126. seq.* Quod in quibus casibus procedat, & quando pro cumulativè concessâ præsumi debeat, demonstrat *Berlich. P. 1. Concl. 2. à n. 3. usq. ad n. 21.* quando verò pro privativè concessâ præsumendum, à *n. 24. usq. ad fin.* Quæ distinctiones demum procedunt, si Princeps velit uti Judicis ordinarii Jurisdictione: Si autem velit jure superioritatis & plenitudine potestatis uti, quod adversus homines sui vasalli possit exercere jurisdictionem & in causis eorundem cognoscere, licet vel maximè verbis expressis Vasallo omnimodam Jurisdictionem privativè concesserit, affirmare & statuere non dubitat idem. *Berlich. P. 1. Concl. 2. n. 2.*

#### VII.

MATERIA in qua, sive SUBJECTUM Jurisdictionis concurrentis sunt Personæ, eaq; vel Seculares, vel Ecclesiasticæ; Seculares sunt in Imperio nostro Romano (1.) Imperator cum Camera Imperiali, (2.) Camera cum Imperatore, (3.) Curia Provinciales cum Sereniss. Electore Sax. & vice versa, aliæq; similes.

#### IX.

Quod attinet (1) concurrentiam Jurisdictionis Imperatoris cum Camera, ea maximè controversa est, ac à multis maximæ autoritatis Viris in dubium vocata. Nobis cum aliquid in hac opinionum varietate sit statuendum, occurrit quidem, quod *Warem. ab Ehrenb. de Oner. subd. c. 11. n. 40.* svadet, ne privatus hanc litem suam faciat, ut ne tamen ancipites hæreamus, paucissima tantum, & quæ ad institutum sufficere possunt, de eâ re subjungemus.

#### IX.

Sunt igitur qui prorsus negant, Jurisdictionem concurrentem Cæsaris cum Camerâ, moti cum primis, quod Jurisdictio Cameræ non simpliciter mandata, sed per viam contractus ultrò citròq; obligatorii inter Cæsarem & Ordines Imperii initi tributa sit, idq; probari volunt per *Ord. Cam. P. 3. C. 54. vers. Solches alles und jedes/haben wir*



wir König Ferdinandus, uns mit den Churfürsten / Räten / erscheinenden Fürsten / Ständen / und der Abwesenden Botschafften und Gesandten / und sie hinwieder mit uns also zu halten / und zu vollziehen vereiniget und verglichen. Id est, de præmissis omnibus firmiter servandis, inter nos Regem Ferdinandum &c. ultrò citroq; conventum est. Jurisdictionem autem ex conventionem datam non cumulativè, sed privativè tributam intelligi, docet *Jacob. Monoch. de præsump. l. 2. præf. 18. n. 23.* aliq; cum primis *Schrad. de Feud. P. 10. Sect. 2. n. 72. qvi sententiam suam stabilire vult pertit. 25. P. 2. d. Ord. Cam. ibi:* Daß dem Cammergericht sein freyer starcker Lauff gelassen werden solle: & *tit. 27.* daß alle und jede Personen und Sachen / so der Kaiserl. Jurisdiction ohne Mittel unterworffen und von derselben durch sondere Austräge dieser Ordnung oder anderen Privilegien nicht ausgenommen seyn / an dem Kaiserl. Cammergericht fürgenommen und gerechtfertiget werden sollen. *Qvæ verba sunt præcisè imperantia, ejusqve dicuntur efficacix, ut exceptiones omnes & sic præventionem quoq; excludant, per ea qvæ tradunt Bald. Card. Felin. Jason. Tiracvell. & alii ab eo allegati.* Sed ad primum respondetur, nullum contractum inter Cæsarem & Ordines intercessisse, sed pro forma Imperii in judicium Camerale consensus fuisse, quod in tali statu Imperii in legibus & aliis ad Imperium nostrum pertinentibus sancendis necessarium. *Tob. Paurmeist. de Jurisd. Imper. Rom. l. 2. c. 6. n. 203. Matth. Steph. de Jurisd. P. 1. l. 2. c. 1. m. 2. n. 220.* Ad secundum respondetur, & quidem ad *art. 25.* verba illa non inducere generalem renuntiationem & abdicationem Jurisdictionis, sed tantum avocationis & suspensionis litium & causarum in Camera inchoatarum *Tob. Paurmeist. l. 2. c. 6. n. 206. seqq.* Ac, quod attinet *art. 27.* verbum sollen non adeo strictè est interpretandum, nam ut notum, latina quoq; vox non præcisam semper involvit necessitatem *tx. in l. 2. C. ubi in rem act. & l. 4. ff. de Offic. Procons.* Imò etiam si vel maximè ejusmodi sensus illius vocabuli admitteretur, ut quidem urget *Schrad. d. l. n. 73.* non incommode tamen hoc modo tum explicari posset, quod omnes illæ, qvæ ad Cameram deferantur, causæ, ab eâ sint recipiendæ & determinandæ: quemadmodum è contrario appellationes à sententiis interlocutoriis non admittendas esse probat *O. C. P. 2. t. 28. §. item als täglich verb. Soll*  
hinfüh.



hinführo das Cammer Gericht die Appellation von solchen interlocutorien nicht anathmen. *Dn. Habn. in Disp. de Prævent. Jurud. tb. 29.*

X.

Alii adeò nituntur in contrarium, ut non tantum adscribant Cæsari concurrentem Jurisdictionem in Camerâ, sed ipsius etiam arbitrio relinqvant revocare ea, quæ jam in Camerâ ventilari cæperunt. Quam assertionem operosè tutatur *Berlich. P. 1. Decis. aur. 158. à n. 9. ad fin.* Fundamentum ipsius in Hypotheci incertâ & falsâ consistit, quo corruente cadent, quæcunq; ei sunt superstructa. Nos potius firmiter inhæremus indubitato huic principio, quod ejus demum sit constituere Judicia, formamq; & modum iisdem præscribere, qui habet τὸ κρῖνον sive potestatem in Rep. summam. Jam verò, quamvis sæpius id disputatum sit, certissimum tamen videtur, quod summa Reip. nostræ potestas non in unò Cæsare, sed in universo Imperii corpore radiceatur. Consequens igitur est, non nisi à Statibus cum sacratissimo Imperatore conjunctis, supremum Cameræ judicium constitui potuisse; Consequens præterea, istius Authoritatem à toto Imperio confirmatam, à solo Imperatore per liberam causarum avocationem non posse imminui. *Reink. de Reg. Sec. l. 2. Cl. 2. 6. 14. n. 15. seqq. Gail. Obs. 41. n. 3. Carpzov. l. 2. t. 2. Resp. 20. n. 9.*

XI.

Sed huic assertioni expressè obstant verba *Ord. Cam. P. 2. tit. 35.* Nach dem die Kays. Maj. sampt Churfürsten und Ständen bewilliget un̄ zugeben/das dem Kays. Cammergericht unverbindert einiger restitution, supplication, avocation oder andern suspension und Aufschlag/sein freyer/ starcker und unverbinderter lauff gelassen und darüber nichts gegeben werden. Qui tex. præter id quod Status Imperii notanter conjungit, adeoq; in constituendo eosdem concurrere satis probat, non tam addicit Imperatori aliquod jus avocandi, quam adimit potius atq; interdicit. Et quamquam *Berlich. d. Decis. 158. n. 36.* de Electoribus duntaxat aliisq; Principibus & Ordinibus eum intellectum velit, quod hos duntaxat prohibitio ista respiciat, revera tamen interpretationem istam contra mentem summorum legislatorum excogitatam esse, rectissime judicat *Carpzov. Process. Jur. tit. 9. art. 3 n. 34.* Firmat hanc sententiam ipse *Paurmeist. l. 2. c. 6. n. 20.*

B

ntut



utut ipsi imprimis propositum sit demonstrare, quod Jurisdictio  
Camerae à solo Imperatore tributa sit.

XII.

Hac quoque occasione incidit illa quaestio: An Imperator cum  
Statibus Imperii, in eorum territoriis concurrat in Jurisdictione?  
Quaestio haec valde in utramque partem disputatur ap. *Limna. de J. P.*  
*l. 9. c. 2. n. 82. seqq.* ubi argumenta pro & contra ad Lydium lapi-  
dem examinat, & tandem cum *Reink.* pro negativa concludit, *d. l.*  
*9. c. 2. n. 95. seqq.* Pro Imperatore quidem facit, quod judicium di-  
catur solvi vetante eò, qui majus Imperium in eadem jurisdictione  
habet, *l. 58. de judic.* & quod per supervenientiam majoris Magistratus,  
cesset minoris Jurisdictio, uti ait *l. 5. de Offic. Rect. Provinc.* Cum  
quã & convenit Jus Sax. in *l. 1. Landrecht. S. wenn der Graff & c. & lib.*  
*3. art. 60. in welche Stad der Keyser kömpt/da ist ihm das Gericht ledig.*  
*art. 26. it. § 2. dict. l. 3.* Sed respondetur, hæc omnia prisceis tempori-  
bus ita obtinuisse, & cum inferiores magistratus omnes precariam  
& administrationis titulo sibi tantum datam jurisdictionem habe-  
rent; Hodiè autem, cum status Imperii jure hæreditario, perpetuo  
atque ad hæredes transmissibili sint investiti, jurisdictionem non ampli-  
us administrationis titulo, sed jure patrimonii in vim utilis Domi-  
nii possident, unde iis privativè non cumulativè concessa jurisdictio  
censetur, *Henr. Bocer. de Jurisd. c. 8. n. 80. Reink. de Reg. Sec. l. 1. Cl. 5.*  
*c. 7. n. 8. 22. Carpz. de L. Reg. c. 9. sect. 2. n. 2. & Const. 27. Def. 11.*

XIII.

(II.) Concurrentiam Jurisdictionis Camerae cum Imperato-  
re, post alios satis probatam dant, *Matth. Steph. l. 1. c. 26. Gail. Obs.*  
*29. n. 3. Tob. Paurmeist. l. 2. c. 6. n. 318.* Sed an in causis feudalibus Ca-  
mera quoque cum Imperat. concurrat, illud non adeò expeditum est.  
Videtur quidem rem minus dubii habere, cum expressus textus  
extet in *Ord. Cam. P. 2. t. 7.* Ob auch Sachen fürstlichen/ Fürstumb/ Her-  
zogthum/ Graffschaffen &c. belangend/ so von Reich zum Lehne rühren/  
so einen Theil gänzlich und endlich abgesprochen werden sollen/ dersel-  
ben Erkändniß wollen wir der Keyserl. Maj. oder ihrer Liebden/wenn  
Keyserl. Maj. abwesend/ als Römischen König hierin/ doch sonst  
in andern Sachen dieser Ordnung unabbrüchig/ vorbehalten haben.  
Sed hic stitit vult Publicistæ inter Fenda Imperii regalia sive ma-  
jora





jora, & feuda non regalia sive minora; Quoad feuda regalia non-  
 nulli Concurrentiam inter Imperatorem & Cameram concedunt  
 in totum, nonnulli verò solum in tantum, per moti verbis *d. tit. 7.*  
 Gänzlich und endlich, quæ de possessorio accipi posse negant, cum  
 possessorium causam non finiat, sed tantum sit præparatorium pe-  
 titorii *l. ordinarii 13. C. de rei vindicat. l. incerti 3. C. de interdict.* Et di-  
 ctioni Endlich (definitivè) inquit Anton Gotthofred. *Disp. 2. Antisult.*  
*Corall. 18.* conjungitur dictio Gänzlich ad excludendum judicium  
 possessorium; quia quæ in eo fertur sententia, ex quorundam opi-  
 nione definitiva est, non interlocutoria, *Bart. ind. un. n. 4. C. si de mo-*  
*ment. possess. fuerit appell. Gail. Obs. 7. n. 4.* aut saltem vim definitivæ  
 obtinet *Felin. in c. consultationibus. de Offic. deleg.* Verùm cum hâc sen-  
 tentiâ parti victæ res non omninò abjudicetur, sed ad petitorium  
 ipsi detur regressus; idcirco adjicitur dictio Gänzlich/ut de solo pe-  
 titorio hic agi intelligamus, non de possessorio *Reink. de Reg. Sec. l. 1.*  
*Cl. 4. c. 19. n. 69. seqq. Regn. Sixtin. de Regal. l. 1. c. ult. n. 23. Sed. Resp.*  
*tit. 7,* uti petitorio; ita etiam possessorio applicari potest. Nam  
 non solum in possessorio, ratione scilicet possessionis, de qua ibi sa-  
 gitur, uni parti wird die streitige Herrschaft abgesprochen *ENDLICH*  
 (quod verbum in *Ord. Cam. P. 2. n. 21.* ubi agitur von Sachen der strei-  
 tigen possession, reiteratur) verum etiâ *GÄNZLICH*/ita ut actor  
 necesse habeat, prima petitione explosâ, ad secundum accedere, &  
 proprietatis judicium intentare. *Limna. de J. P. l. 2. c. 9. n. 78. seqq.*  
*Spreng. Jurispr. Publ. p. m. 74.*

#### XIV.

Quod concernit Feuda minora, strenuè nonnulli defendunt  
 Cameram in iisdem cum Cæsare concurrere, *Reink. lib. 1. Cl. 4. c. 19.*  
*n. 67. Regn. sixt. de Regal. l. 1. c. 8. n. 16. & Gail. Obs. 29. n. 2. seqq.* qui  
 etiam memorat processus, propterea inter personas immediatè Im-  
 perio subjectas, in Camerâ decretos fuisse in causa Breetenroth  
 contra Michael Gilles/ 4. Sept. anno 51. Item in causa der Welschen/  
 contra Nassau/ ultim. August. anno 1541. it. in causa Schönberg contra  
 Wolffhaller/ 15. Novembr. Anno 66. Verùm *Gailio* sese opponit *Lei-*  
*poldus* in *Diff. de Concurrent. Jurisd. qu. 6.* (quem allegat *Limna. de J.*  
*P. l. 9. c. 2. n. 157.*) & sive feudum sit regale, sive non regale, dummo-  
 do sit immediatè Imperio subjectum, controversiam de eo ortam



ad solum Imperatorem pertinere asserit. Infert autem ex *Gailio* contra *Gailium* hoc modo. Si causæ feudales, feudorum Imperii minorum, neq; ad Austregas spectant, neq; per viam simplicis querelæ ad Cameram devolvi possunt, utiqve neqve per appellationem eò devolvi poterunt, cum ab Imperatore ad Cameram non detur jus regressus, neq; alia aliqua mediata instantia ejusmodi litium. Ergò neutro modo Camera adiri poterit. Ad Austregas verò causas ejusmodi feudales non pertinere, ait *Gail. d. Obs. 29. in fin. & Obs. 1. l. 1. in pr.* fatetur, regulariter omnes causas Imperii in primâ instantiâ ad Cameram non pertinere, sed demum per viam Appellationis ad eam devolvi, nec ubi ad Exceptiones ventum est, ab ista regula causas feudales ullibi memorat exceptas. Ad præjudicia à *Gailio d. l.* allegata quoque Respondet *d. Leipold.* sicut videre licet ap. *Limn. de J. P. l. 9. c. 2. n. 162.* Quid autem nobis in hâc controversia sit statuendum, non adeò liquet, præsertim cum & ipse *Limna. d. l.* judicium suum hâc de re suspendat. Si tamen *Leipoldi* rationes penitus consideramus, non adeò quem errare putamus, si cum eo faciat, cum & ipsi suffragetur post alios *Tob. Paurmeist. l. 2. c. 4. n. 121.*

XV.

Non inutiliter quoque hic quæritur: An Pares Curix, ut vocant, cum Imperatore concurrant in controversiis de feudis regalibus, vulgò *Fahn Lehen*? Multi sanè, inter quos est etiam *Reink. de Reg. Sec. l. 1. Cl. 4. c. 19. per tot.* id negant, propter *ix. Ord. Cam. P. 2. t. 7.* ibi: *Der selben Erkenntniß wollen wir der Kays. Maj. oder abwesens der selben/ uns als Römischen König vorbehalten haben/ &c.* Sed ad hunc textum respondeo, illum posse accipi secundum usum veteris formulæ, ut censet *Dn. Conringius*: Eodem enim modò locuti jam olim sunt Cæsares, nec tamen unquam exclusos à judiciis propterea Pares Curix, i. e. Principes voluerunt. Nihil ergò aliud istâ formulâ significatur, quàm quòd ad judicium aulicum & Camerale, constitutum ex Personis infra dignitatem Principum, non pertineant lites de Principatibus, sed ad Cæsarem ac Curix Pares; quemadmodum hunc textum & ipsi Principes interessentes, quos vocant, in causâ *Juliacensi Elect. Brandenburg. & Dux Neoburgicus* in publico rescripto propter istam controversiâ in lucem dato, acceperunt, & cum iisdem uniti Principes in literis ad *Elect. Saxon. de dato Schwai*



Schwäbischen Hall. d. 31. Jan. an. 1620. Burgold. Not. Rev. Imper. P. 2.  
Disc. 20. §. 5. in fin.

XVI.

Verum ad hanc responsionem regerunt: Si Imperator Camera, quæ concurrentem cum eô Jurisdictionem habet, in partem dijudicationis de causis feudalibus Principum & Comitum vocare non cogitur, multò minùs Pares Curia, ut adhibeat, coarctandus erit; Ratio consequentiæ manifesta est, quia hi nullam jurisdictionis concurrentiam cum Cæsare habent: Quapropter cum Camera, quæ Paribus Curia major est, excludatur, justa ratione & hi removendi erunt. Sed ad hoc Resp. Magna est diversitas inter Camera & Pares Curia hac in parte, ratioq; diversitatis exinde petenda, quod de Principis dignitate statuq; nemo, nisi dignitate pares, possint cognoscere. Id enim inculcant literæ Imperatoris ap. Goldast. Tom. 2. der Reichsack. p. 155. Dasi Fürsten Sachen nicht an das Cammergericht/sondern für den Kaysar allein/mit Zuziehung der Fürstengenossen nach Fürstenrecht sollen gemiesen werden. Limna. de J. P. l. 2. c. 9. n. 60. Sed Reink. l. 1. Cl. 4. c. 19. n. 35. & illum sequens Carpz. de L. Reg. Germ. c. 9. sect. 12. n. 127. hoc jus Principum, Fürstenrecht/pro cerebrino habent, quod tamen Limna. de J. P. l. 2. c. 9. an. 32. ad num. usq; 72. multis defendit, atq; exactis Imperii prolixè probat d. l. ut & Burgoldens, Not. Rev. Imper. P. 2. Disc. 20. §. 3. in med. & §. 13. pr.

XVII.

Diximus (III.) concurrere in Jurisdictionis exercitio Curias Provinciales cum Elect. Sax. sc. mediante Senatu aulico atqve Appellationum. Quod non modò praxis quotidiana firmat, sed manifesta quoq; est Sanctio Electoralis de illa concurrentia Jurisdictionis, in Ord. Provincial. Wittebergensi de anno 1550. tit. Wer vor das Hoffgericht möge geladen werden. vers. So mag auch ein ieder &c. & Ord. Appellat. Christian. II. Elect. de anno 1605. Rubr. Wer vor unser Appellation-Bericht geladen/ vers. Desgleichen weil ohne das in unsern Landen. & §. seqq. Dn. Cass. Ziegl. ad prax. aur. Calvol. tit. Schriftsasi & Ambsasi Concl. 1. & 2. Carpzov. in Process. Jur. Tit. 2. art. 2. n. 98. & 163. & Respons. 11. l. 2. t. 2. n. 3. Quibus autem passibus ista concurrentia procedat, demonstrat d. Carpzov. in d. Process. Jur. Tit. 2. art. 2. n. 100. seqq.

XIIX.



XIIX.

An Status Imperii cum suis Vasallis, cum Jurisdictione investitis, concurrant, etiam h. l. quæritur? Resp. Status Imperii quoad subditos suorum territoriorum similem, quam Imperator in universos Imperii cives tenet, potestatem habere censetur, *Tom. Mich. de Jurisd. th. 45. Modest. Pist. Conc. 18. n. 1. Vol. 2.* Igitur quemadmodum Imperator cum Statibus Imperii in eorum territoriis circa Jurisdictionem, non concurrat, uti *th. 12. evicimus*, ita nec Status Imperii cum suis Vasallis concurrere statuimus. Nam, uti ibi jamdictum, hodiè Jurisdictiones in feudum conceduntur: Jurisdictio autem per feudi titulum concessa, privatimè collata censetur, *Regn. Sixt. de Regal. l. 1. c. 5. n. 56. seq. Carpz. part. 1. Const. 27. Def. 11. n. 1. 2. & Resp. 11. l. 2. t. 2. n. 14.* Quod vel maximè procedit in terris nostris, ubi Jurisdictio confertur feudatariis per modum donationis & investituræ, in belehnter Berichtsbarkeit/ quemadmodum ut plurimum additur illa clausula, Haben ihn mit den Berichten Oberst und Niederst zugleich begnadet und belehnet. Quo casu donator vel investiens non potest revocare Jurisdictionem loci, à se semel abdicatam, *Matth. Coler. de Process. Execut. P. 2. c. 1. n. 164.* Adeò ut in feudatus solus debeat gaudere fructibus omnimodæ jurisdictionis, in quâ superior ipsum nequam impedire potest, sed competit ideò Vasallo utile interdictum uti possidetis adversus Dominum, *d. Coler. P. 2. c. 1. in Add. ad lit. y.* Ita ut nec Superioris sive Principis major sit potestas circa avocationem, quam Cæsaris in Imperio, quem Jurisdictionem Camerae per avocationem impedire haud posse, statuit *Carpz. l. 2. Tit. 2. Resp. 20. n. 9. seqq.* ubi rationes & limitationes, *Berlich. Decis. 158. n. 10. Schrader, de Feud. Sect. 1. n. 158.*

XIX.

Personas Ecclesiasticas quod attinet, illas quoque concurrentiâ Jurisdictionis gaudere, demonstrant *c. adhuc. 7. & c. fin. X. de Offic. Archid.* ubi habetur, quod Archidiaconus cum Episcopo in his, quæ utriq; competunt, concurrat, *Sec. dilectus filius 19. de præbend.* ubi dicitur: Episcopum cum Papa in collatione beneficiorum concurrere, *Marta de Jurisd. P. 2. c. 2. n. 5. 6.*

XX.

MATERIA circa quam, sive OBJECTUM Jurisdictionis concurrenten-



currentis sunt res seu negotia, eaq; vel civilia, vel criminalia; De Civilibus egimus in th. præcedentibus, restat ergò paucis de Criminalibus agere, & quomodo Jurisdictio concurrens in his locum inveniatur, demonstrare.

### XXI.

Potest autem concurrentia Jurisdictionis locum invenire in delicto, quod in confinio duorum territoriorum commissum, ita ut confines in causæ cognitione concurrant, *Bald. in l. 19. ff. comm. divid. Trentl. vol. 1. Diss. 19. th. 4. ubi Bachov. Dn. Struv. Syntag. Jur. Civ. Eser. 9. th. 46. Dn. Strauch. Diss. 29. n. 8. de Publ. Judic. Carpz. Crim. P. 3. qu. 110. n. 25. seqq.* Quamquam enim non desunt, qui aliter sentiunt, totq; opiniones in hac controversiâ extant, quod ferme membra in cadavere reperiuntur principaliora. Nam (I) sunt, qui volunt considerari locum in quo trucidati caput reperitur, *Schneidvv. ad S. ult. Inst. de I. N. G. C. n. 8. Matth. Steph. de Jurid. l. 2. P. 1. C. 7. n. 403. Zang. de Except. P. 2. c. 1. n. 238. Sixtin. de Regal. l. 2. c. 2. n. 17. seqq. Berlich. Decis. 62. n. 8. & seqq.* (II) Alii ei deferunt cognitionem, in cujus territorio cor sive pars corporis, quæ continet cor, deprehenditur. (III) Opinatur *Bocer. de Jurid. c. 9. n. 12.* illum locum debere attendi, in quo homicida stetit. (IV) Putat *Niell. Diss. feud. ult. in Coroll. lit. d.* competentem judicem hoc casu esse eum, in cujus territorio trucidatus solis pedibus incumbere reperitur, cui quoq; subscribunt *Tom. Michael. de Jurid. Imper. Rom. Concl. 50. Hoen. Diss. Inst. 23. th. 21.* Tamen ab his omnibus opinionibus recedit *d. Carpz. d. l. & eas fallere posse ostendit, statuitq; debere hanc quæstionem judicis arbitrio ex circumstantiis, indiciis, & præsumptionibus circa unamquamq; facti speciem occurrentibus, decidendam relinqui.* Ubi autem conjecturæ istæ prorsus deficiunt, ex quibus alias decisio petenda, aut tales occurrunt, ex quibus nihil, quod sit verosimile, colligi potest, tum in dubio cognitionem & coercionem criminis ad utriusq; territorii Dominos simul pertinere existimat, illamq; sententiam tanquam æquiore, sicuti etiam revera est, fovet *dict. Carpz. d. l.*

### XXII.

FINIS Jurisdictionis concurrentis est Judicium in administratione Justitiæ stimulatio, indeq; celerior litium finis & decisio argumen-



argumento eorum, quæ habet *Gylman. Tom. 2. P. 3. Symph. tit. 5. Supplic. f. 283. de Camera ac Judicio Rotvillano.* Judices si quidem circa causarum communionem concurrentes, ne litigantes seu partes gravatae ad alterum concurrentem omnes lites ac causas suas deferant, justitiæ eò sunt studiosiores atque æquiores, magis magisque processus finemque causarum appropierant & maturant, meliusque per plures, quam pauciores Reip. potissimum ampliori, providetur *arg. l. quoties, §. ult. ff. d. admin. tut.*

### XXIII.

EFFECTUS jurisdictionis concurrentis est (1) respectu judicis, ut judex concurrens præventus, causæ seu controversiæ coram præveniente jam motæ atque inchoatæ, se immiscere, utque nunc coram se oratur, permittere non possit, adeò, ut si secus fecerit, contra eum judex præveniens Actionem Negatoriam instituere valeat. Quin imò hodie alienam jurisdictionem hòc modò turbans, territorium violasse censetur *Gail. de Pac. Publ. l. 1. c. 6. n. 27. seqq. & pœna fractæ pacis tenetur Const. Imp. promulg. anno. 1495. ab. Maxim. Mysing. Cent. 2. Obs. 29.* Turbare autem jurisdictionem quis censetur, quando alium suâ jurisdictione uti impedit quocunque modo *§. retinenda Inst. de Interdict.* (2) Respectu partium Effectus est, ut si judex concurrens præventus causam præventam acceptare velit, reus possit ei exceptionem Præventionis opponere, quâ oppositâ efficitur ut tollatur iurisdictio, reusque ab instantiâ Judicii absolvatur, & aëtor ad judicem, coram quo lis jam pendet, quasi ibi præventus remittatur, *arg. l. 7. ubi Bald. & l. 30. ff. de judic. Zang. de Except. P. 2. c. 3. n. 2. 3.*

### XXIV.

Illud autem potissimum circa exceptionem Præventionis disceptatur, per quemnam actum ea inducatur? Sanè non adeò expedita sunt, quæ à Dd. circa hanc quæstionem vulgò afferuntur. Communior tamen sententia est, per solam citationem firmari litis pendentiam, idque manifestum reddi videtur ex *lx. in l. 7. ff. de Judic. ubi expressè dicitur: Si quis, postquam in jus vocatus est, miles, vel alterius fori esse cœperit, in ea causa jus revocandi forum non habebit, quasi præventus Gail. 1. Obs. 34. n. 2. Zang. de Except. P. 2. c. 3. n. 4. Mascard. de Probat. vol. 3. Concl. 1227. n. 6. & qui hos sequitur Carpz. io Proces. Jur. Tit. 9. art. 3. §. 5. n. 43.*

### XXV.



## XXV.

Sed quid si à pluribus iudicibus concurrentem jurisdictionem habentibus, ejusdem rei causâ, unô eodemq; die emissæ sint citationes, quis eorum prævenisse dicendus? Et indistinctè quidem affirmandum, quod is cujus citatio prius fuit insinuata, adeò, ut etiam per unius horæ, quin & momenti spacium præventio fundetur, *Carpz. d. Process. Jur. T. 9. art. 3. §. 2. n. 18.* Quid autem si dubium sit de intimationis prioritare? Rem sanè Dd. perplexam putant. Nos sic dicimus, aut citatio Superioris & inferioris concurrat, & debet inferior Superiori deferre & cedere *Zang. de Except. P. 2. c. 3. n. 27.* Aut pares circa unam eandemq; causam concurrunt, & sorte controversia dirimenda est, *Socin. ad c. postulasti.* Sicut statuit dictus *Zang. d. c. 3. n. 32.* Quemadmodum in simili, cum in tribus illis judiciis mixtis, familiæ eriscundæ, communi dividendo, & finium regundorum simul ambo ad iudicium provocaverunt, nec constat quis prius provocaverit, ad sortem recurri solet, *l. 14 ff. de iudic.* Neq; enim Partibus electio danda, utri se submittere velint, cum utriusq; citantis sit par ratio & jus.

## XXVI.

Partem ultimam hujus Disp. absolvant CONTRARIA Jurisdictionis concurrentis, quæ sunt modi, quibus jurisdictionis concurrentis finitur atq; amittitur.

## XXVII.

Jurisdictionis autem concurrentis amittitur (1) revocatione Principis, quando legitima causa revocandi adest, qualis v. gr. est nimia sævitia in subditos *arg. l. 2. ver. dominor. quid ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. §. ult. Inst. eod. l. 1. C. de emend. serv. v.* Vulgò ex Jure Longobardico hæc constituitur regula generalis; Ex quibus causis Vasallus feudo privatur, ex iisdem jurisdictionem uti in genere, sic quoq; in specie concurrentem & feudo suo coherentem amittit. *Cravetta Concil. 597. n. 3. & Consil. 6. n. 110.* (2) Amittitur præscriptione. Præscribitur autem ita, quando quis actus jurisdictionales hætenus communes solus exercet, ac per prohibitionem alterius possessionem intervertit, ut sic subsequatâ patientiâ concurrentis præscribentis jurisdictionis censeatur consolidata. (3) Amittitur Præventionem, licet tunc solum in tantum seu ex parte; scil. quoad hunc

C

vel



vel istum actum. Præventio enim judicem præventum jurisdi-  
ctione non privat, sed tantum ejus jurisdictionem suspendit, *Carpz.*  
*Respons. 46. l. 1. tit. 3. n. 5.*

XXIIX.

Et tantum de nobilissimâ atq; difficillima hâc Jurisdictionis  
concurrentis materia. Plura nec instituti ratio deposcit, nec inge-  
nioli tenuitas permittit. Quod si igitur in his nonnulla perpe-  
ram omissa, aut non omnia satis accuratè tradita sint, facilè veniam  
à benevolo lectore mihi polliceor, cum optimè sciat  
paucos hætenus paucâ de hâc materiâ scri-  
psisse ac tradidisse.

---

**H**Oc genus, hoc proavos, hoc est decorare parentes,  
Hoc patriam atq; Principem.

**Q**ui virtute caret, non ornat sanguinis ortus,  
Infamis inquinat magis;

**N**ec te facta juvant Maiorum illustria, si te,  
Ut Natta discinctus, geris.

**Q**ui BURCKERSODIUM contingere sanguine CONSUM  
Te novit, ortum suspicit.

**A**t BURCKERSODIO similem virtute futurum  
Qui cernit, ipsum Te colit.

Generoso adolescenti applaudebat

D. FRID. RAPPOLT.

Prof. Publ.

---

Ad Generosum & Nobilissimum Dominum  
Respondentem, Fautorem & Commilitem suum  
exoptatissimum.

Gratul. scr.

P R Æ S E S.

**T**E juvat A O N I D U M doctæ impallescere chartæ,  
Et vigili studio PALLADIS Antra sequi.

Nec



Nec Tua cura THEMIS nostra est postrema, Cathedram  
Nam, Generosè, frequens scandis eamq; colis.  
Maeste novâ hâc virtute, illibataq; coronâ  
STEMMATIS, & Themidis sacra subindè cole.  
Sic Tua NOBILITAS rutilo ceu Jaspis in aurô  
Fulgebit: Virtus nam decorabit eam.  
Nobilitas virtusq; rudis suffragia plebis  
Temnit & ad summum nititur ire gradum.

---

AUSTRIACOS fertur PASCHALES nomine dici:  
PASCHATA quod celebrent semper, Jejunia nunquã. \*  
Nomine PASCHALIS vix BURCKERSRODIUS iste  
Perstringendus erit. Certè cum PASCHATA nuper  
Nobilium multi celebrarent liberiori  
Ingenio genioq; ; Libris intentus id egit,  
Publicâ ut in cathedrâ posset (plaudente Minervâ)  
Dicere, CONCURRENTES QUID JURISDICTIO signet.

\* Th. Iansius, ipse Austrius,  
in orat. contra German,  
p. 888.

plaudenti Minervæ  
applaudit

Fr. Geisler. Siles.  
Ph. & J. U. D.

---

QVOD sæpè Jurisdictio concurrere  
Conseverit, videmus: Ast ne quid dicit  
Concursus iste forte turbarum, doces.  
QVOD juris, & quo quisq; defendat modo,  
QVÆ competunt. Ut inter hos sis, apprecor,  
QVI jura dant auctoritate Principum.

Nobilissimo Dn. Resp.  
gratul. adposuit

Christian Fridericus Franckenstein/P. P.  
A Mon-



A Monsieur Burckersroda l' auteur  
de ces theses.

Monsieur

**L**Edevoir, que je vous ay, vous étant acquis par tant de  
fasons, me fait assez d' inquietudes, pour vous rendre  
le reciproque, & effectüer la passion, que j'ay pour  
vostre service; Jusqu'a present j'ay esté assez malheureux,  
pour n'en avoir pu donner des preuves, comme j'ay sou-  
haitté. Presentement, Monsieur, vous trouverez bon, que je  
m'en en quelque façon acquitte, & me rejoisse avec tous  
ceux, qui s'interessent dans la belle renommée, que vous  
vous estes acquise, en mettant au public des theses très  
doctes, & très dignes, de la qualité, que vous portez par  
vostre naissance & vos merites; Je ne di plus, la haute re-  
putation, que vos vertus vous ont déjà donnée en parlera  
avec plus d'esclat. Il a esté pourtant à moy, de vous asseurer  
de la joye, que j'en ay, & repeter encor icy, que jesuis  
plus que personne du monde,

Monsieur

Vostre tres humble & tres  
obeissant Serviteur

Jean de Käyn.

---

S'ic Tua, BURCKERSRODI, Generosi Stemmatis ALTOR  
Mens Generosa ratâ Nobilitate viget!  
Vere novo SOPHIS florens increscat adultô,  
Auspicii usq; Sui præmia parte ferat!

DAVID Wächter/  
J. U. Cand.

F I N I S.



















92647

ULB Halle 3  
007 106 459




VD 77











Gratiâ Christi Adjuvante,  
MAGNIFICOQVE ICTORUM ORDINE  
CONSENTIENTE,

DISPUTATIONEM JURIDICAM  
De  
CONCURRENTIA  
JURISDICTIONIS,

SUB  
MODERAMINE  
VIRI

NOBILISSIMI ET CONSULTISSIMI  
DN. PAULI FRANCISCI ROMANI,  
D. & P. P. Fautoris sui colendi,  
IN ILLUSTRIPHILUREA

Publico Eruditorum examini  
submittit

AUTOR & RESPONDENS  
Tobias Dieterich à Burckersrode.  
Eqv. Misn.

Ad d. VII. April.  
A. O. R. M. DC. LXX.

---

LIPSIAE  
Literis JOHANNIS GEORGI.